



S^o
15
Baro

Nco / Qvl.

Tiv

Herr Prostfor
C. Sundevall

Vänskapsfullhaf
Forfattare.

CRAPULA MUNDI

s e u

morbus animi contagiosus,

cujuſ causam sub libertatis ſpecie occultatam,
in ſervitute morali, ſymptomata viſibilia in tur-
bulentis gentium motibus, nec non exitum tri-
stem in morte ſpirituali, indagavit, omniumque
ordinum vitæ genus percurrente adumbravit

LAURENTIUS LEVI LÆSTADIUS

Past. et Præp. Ecclesiæ Karesuando Lappon. Tornens. de
Ord. Leg. Honor. Galliæ, Eques aurat; Reg. Soc. Scient.
Upsal. Venat. Holm. nec non Bot. Edimburg. Membrum.

litteris prælo exaratis, auditoribusque, cum ſpe-
cimen pro Exam. Pastorali ſisteret, Orationis
vice traditis.

Anno MDCCXLIII.

HERNOESANDIÆ,
excudebat Jonas Svedbom, MDCCXLIII.

1813

СОВЕТСКАЯ АГИТАЦИЯ

二

Digitized by srujanika@gmail.com

卷之三

III. MONOGRAMS

...in the year of our Lord one thousand eight hundred and forty five, MDCCLXV.

L. B. S.

Vivitur nunc illis temporibus, quæ sunt forte extrema tempora mundi, qvibus neque gloria in virtute, neque honos in honesto atque decoro, neque summum bonum in religione atque fide qvaruntur; sed in voluptatibus, in epulis et potionibus in aleis atque ludis summa mortalium delectatio sita est. Olim pro patria, pro libertate, pro liberis et uxoribus, pro aris et focis pugnatum est; et erant quondam tempora patriæ nostræ gloria, qvibus omnium civium unus erat animus, unus Deus et unus rex: quoniam honestum erat atque jucundum pro patria mori, pro religione atque fide crudelissimam subire mortem. Nunc autem, heu! quanta mutatio morum, quanta degeneratio hominum intra aliquot sœcula facta est: non armis sed fustibus et pugnis per plateas; non verbis, sed conviciis et detrectationibus pugnatur. Pro libertate licentia, pro virtute audacia, pro modestia arrogancia, pro temperantia immoderata rerum novarum cupidio omnium mortalium invasit animos. Omnes imperare, panci obtemperare volunt. Tumultuantur gentes et grasiantur populi adversus reges legitimas imperias. Jam turbas dare, acieque instructa militari cœpit mobile vulgus reipublicæ ruinam.

Religionis sanctissimæ fundamenta demoliri cœperunt illi, qui non suis contenti alienas opes captant,

cum ingenia non possint; qui rerum potiri volunt, suamque fortunam vel potius tyrannidem querunt, in omnium rerum perturbatione; et, quia virtute non valent neque pollut ingenio, tentant dolo, experiuntur detractionibus abrogare leges, potestate regiam eludere, magistratibus auctoritatem et fidem omnem detrahere, senatorum præfectorumque dicta et facta omnia vituperare. In tanta rerum perturbatione, cum pauci sua sorte contenti esse videantur; cum accusantur reges, penes quos summa imperii esse debet, tyrannidis; accusantur magistratus ambitionis et avaritiae; vituperantur denique omnes, qui aut in foro, aut in re militari, aut in ecclesia, aut in tribunali aliquo officii munere funguntur, quod non populi sed sua commoda potissimum querant; si hæc vera sint: quis est tam ferox, tam immanis tamque crudelis, qui libertatem amissam populi non deploraverit?

Sed videndum est, ne id, quod in aliis vituperatur, in nobisimet ipsis deprehendatur. Cavendum est, ne ista vitia, quæ in magistratibus damnantur, in nobisimet ipsis inveniantur. Tota civitas mihi videtur communis vitio laborare; nec solum nostra civitas, quæ extremis hisce temporibus mortiferum accepit vulnus, sed omnes gentes, quæ in orbe terrarum degunt, in eundem morbum incidisse videntur. Miremini forte L. quæ sit illa species morbi, qua cuncta corporis membra ægrotant, quæ civitatem tam inquietam et morosam reddit. Non est mirandum, si ego, procul a theatro remotus, et ea, quæ aguntur in scena, e longinquo prospiciens, longe aliam de morbi hujus natura sententiam edicere auderem, quam quæ

vulgo promitur. Ut mihi videtur, causa omnium malorum querenda est, non in servitute corporum, sed in servitute animorum, in depravatis moribus, in religionis defectu. Periit virtus, periit præsea fides: deleta est pietas; extincta est morum simplicitas. Habetus religionis formam, sed res ipsa evanuit, et nucleus inanis est.

Etenim quid est, quod tam magnopere affectamus? Quid est, quod querimus parvi et ampli? Fortunam et felicitatem. Sed fortuna queritur non in virtutibus, neque in religione, sed in voluptatibus, in honoribus in divitiis hujus mundi. — Ego homo inurbanus et agrestis ad urbem iter facio, obstupescens domum sutoris excelsam intro: hic nitent omnia sericis et ornamentis; resurgent paries speculis, tabulis et pigmentis; redolent omnes incolæ odoribus et ungventis; resonant tecta instrumentis musicis chordarum: unde hæc, quæso, redundant sutori? Ex officina? Non opinor; sed ex ære alieno. Miror hominis stultitiam atque reprehendo, quod male sibi suisque consuluerit, si quidem ære alieno contracto, cum non sit solvendo, bonis publicatis se suamque familiam in maximam miseriaram præcipitaverit. At ille stomachari, irasci, dicitare, se dignitati suæ consulere debere; non posse se subalia conditione bene honesteque vivere. Hoc vitæ genus non solum in sutoribus et sartoribus, sed etiam in omnibus mercatoribus deprehenditur, quibus omnia sunt venalia præter ambitionem; quorum merces semper plurimo, honos autem et religio et fides minimo consistunt; quorum luxuria et avaritia ad omnes pœne opidanos emanavit. Mercantur, negotiantur; ædificantur ædes, apparantur convivia; in epulis, aleis atque

ludis maxima pars diei consumitur; unde, quæso, suppetunt res? Ex mercatura? Minime, sed ex ære alieno.

Alterum genus est eorum, qui absolutis studiis academicis, aut collegia intrant, aut magistratus civiles ambiunt, aut judicium ordini associantur, aut ceteris muneribus publicis funguntur, maximisque demum honoribus afficiuntur; quorum ergo auctoritas maxima in civitate habetur. In hoc ordine non solum fidès in negotiis publicis privatisque exspectanda est, sed etiam religio ac virtutes singulares, quæ ex vera religione fluunt, ut: abstinentia, temperantia, patientia, modestia, pietas etc. Sunt enim docti viri, homines eruditæ, omnibusque ingenii facultatibus instructi; habent etiam philosophandi facultatem, qua si recte uti velint, ad certum quoddam propositum aut decretum in religione pervenire debent.

Sed religio non discitur in scholis. Quamquam olim sapientes habiti fuere, qui supra vulgus sapere putabantur: et sane, si vera fateri velimus, philosophia majorum, majorem redolent sapientiam, quam recentiorum. Erat enim popularis, et ad captum hominum accommodata. Versabatur cogitatio antiquorum circa mores hominum; in emendandis vitiis naturæ humanae plurimum temporis atque studii consumebatur. Hinc mirabiles virtutes peperit philosophia eorum, qui vere philosophi audiebant, scilicet: miram animi constantiam in maximis periculis, et in ipsa morte immortalitatis magnam spem; item summam in doloribus patientiam, omnium voluptatum abstinētiā, in omnibus animi affectibus temperantiam; virtutes, quas sola religio Christiana postea produxit. Plurima sunt exempla eorum, qui injurias non modo ho-

rium et inimicorum, sed etiam amicorum et civium æquo animo ferre sustinuerunt. Ubinam nunc tales sunt philosophi? Monstrate, si potestis. Sed ne unicūm quidem invenietis, si vel lucerna media die quæratis.

Versantur hodierni in speculationibus inanibus, in objectis astra superantibus, in sublimioribus idea- rum sphæris; contemplatur obſtupfactum vulgus lapidem philosophicum nubibus involutum, miratur et quærit; quid est quæſo? Non intelligo. Et sane quis est, qui intelligere potest sapientiam semet ipsam superantem? Quis capit profunditatem idearum obſcuratam contradictionibus contrariis? Sicut: A, est A, non ergo B, non C, non D; ergo: A est limitatum, nec definitione opus est. Vel hujusmodi propositiō: unum involvit alterum tamquam contrarium sui; alterum involvit tertium, tamquam medium. Quis est, qui tali deductione facta trinitatem negaverit? Verum enim vero, si sancta trinitas firmioribus fundamentis non niteretur, quam illiusmodi argumentis, de quibus nemini persuadebitur; jam pridem unitatis vinculum ruptum videremus.

Gloriatur hodierna philosophia de contrariis unendis, de adversis reconciliandis, de oppositis confluentibus, quibus rebus omnis controversia tolletur, et quidquid contrarium videtur, reconciliabitur; neque tamen contradictionem in dictis et factis philosophorum tollere potest.

Nam vita eorum, si non est vituperanda, non est admodum laudanda: in cathedris sublimes, in suggeſtu singulareſ, ſed in foris vulgares homines nullis virtutibus inſignes; in administranda republiea

supra vulgus sapiunt; in solvendis questionibus populi ancipites; in controversiis componendis dubii, in ferendis legibus parum providi. Itaque leges latæ post unum alterumve mensem abrogantur ab illis ipsis, qui tulerunt legem.

Philosophia majorum magis erat popularis quam hodierna, magis ad usum et captum hominum accommodata, in variis casibus dubiis reipublicæ et civitatis utilis, ad solvendas quæstiones populi idonea. At hodierna ab imis ad astra, super omnem captum populi volitans, rempublicam deseruit orbam, gravissimas quæstiones vitæ et necis ne digito quidem tangens; studium humani generis, necessarium omnibus rempublicam gerentibus penitus prætermittens. Itaque illi, qui reipublicæ præesse debent, quos fraudare regi consilique dare oportet, opiniones, consuetudines et desideria populi ignorantes, perversis mediis utuntur ad sedandos levissimos motus. Hinc errore et ignorantia consulentium factum est, quod postea apparuit, ut in proximo hocce tumultu, quem neminem vestrum ignorare putamus, cuius deplorandum eventum in proximis hisce comitiis omnes vidistis, cum turbas dare cœperit vulgus, in armis et militibus quæreretur præsidium unicum, ubi opus erat consilio et speculatoribus. Postea vero, cum antea acriter in eos animadversum fuerit, qui per diaria mendacia spargunt, animosque hominum incitare solent, ut ipsi dominantur, ex summa severitate in lasitudinem atque remissionem reciderunt. Quasi vero civitas, acceptis vulneribus saucia, enervata voluptatibus, effrenata cupiditatibus, profligatis virtutibus, religione ac fide exsulantibus, sanari possit remediis remittentibus et sera poenitentia facti.

Dixit olim Timoleon, quod a Cornelio Nepote magistro nostro familiari memorie proditum legimus, cum expulsis tyrannis, civitatem Syracusarum liberasset, et Dæmenetus quidam in concione populi rebus gestis ejus detrahere coepisset, ac nonnulla invehernetur in Timoleonta; tum demum se voti esse damnatum; namque hoc a diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua ciuvis liceret, de quo vellet impune dicere. Verum in nostra civitate, ut multos habemus Dæmenetos, ita paucos habemus Timoleontas. Atque haec ipsa res præcipuum libertatis partem in omnibus civitatibus liberis constituere videtur, scilicet: ut liceat ciuvis, de quo et quidquid voluerit, impune dicere: ac ne hoc carissimo jure privaretur populus, etiam lege præcautum est.

Est autem vitium omnium barbarorum, quod illis commune cum quibusdam feris bestiis esse videtur, ut, cum non possint mordere, latrent; cum non possint discerpere, ululent; et cum non possint devorare strident dentibus.

Oportet quidem Principem divum et generosum invectio[n]es spernere perditorum hominum, non quod auctoritati ejus nocere non possint, sed quia omnes, qui bestiarum natura imbuti sunt, naturali quodam instinctu inventi sunt in eos, quos erectos incedere vident. Quis autem a Principis persona postulare aut etiam exspectare poterit, ut ille solus omnium sibi illatas injurias æquo animo ferat; quod nec philosphus quisquam in corrupta civitate præstare poterit tantam animi constantiam. Habemus quidem exemplum nobile Davidis, qui invectivam Simei non modo æquo animo tulit, sed etiam condonavit;

Sed ille erat arctissimo religionis vinculo adstrictus Deo. Itaque non potuit non ferre injurias Simei usque ad mortem; infinita enim patientia et clementia est prærogativa soli Deo competens. In corrupta autem civitate etiam Principes sunt homines; et ut multos habemus Simei similes, ita paucos habemus Davidi pares. Optandum est, non vero semper sperandum, ut Principes Davidis exemplum imitarentur.

Sed religio non discitur in aulis, neque in scholis. Miremini forte, unde demum religio discatur, cum neque in aulis neque in scholis discitur. Hoc autem dictu eo difficilius est, quod ne illi quidem, qvorum pectora pietate imbuta sunt, declarare possint verbis, unde hanc divinam didicerint scientiam. Putant quidem nonnulli emendari posse hominis vitiosam naturam studiis, eruditionibus et disciplinis: sed falso; nam si doctissimus quisque eset religiosissimus, profecto omnes docti esent religiosi, et ipse Diabolus in omnibus artibus infernalibus eruditus, eset religiosus, quod absurdum. Itaque studia ornant, non emendant hominem.

Præterea virtutes singulares, quæ sunt quasi vera pietatis criteria, et sine quibus vera religio cogitari nequit, quatenus ex illis, quæ cernuntur oculis ad fontem, unde omnis vera virtus et pietas emanare debet, conclusionem facere liceret, non in urbibus sed ruri habitantes inveniemus, apud homines agrestes, in desertis sylvarum degentes, ab omnibus scholis remotos, eruditionis urbanitatisque expertes. His virtutibus nominatim numerari possunt abstinentia voluptatum omnium legi divinae repugnantium, lascivæ,

vini, scortorum, ludorum, luxus, comissionum; item temperantia vel affectuum libidinosorum refrenatio; odii, iræ, ultiæ abalienatio; injuriarum toleratio; humanitatis studia, modestia, hospitalitas, munificentia, remuneratio, liberalitas, in primis vero salutis æternæ desiderium, verbi divini sedula meditatione; in rebus adversis patientia, in secundis moderatione, in mortis momento hilaritas, melioris vitae post mortem non modo desiderium et spes, verum persuasio; quæ omnia simul sumta christianum ornant, et quorum maxima pars non nisi a regenito praestari possunt.

E contrario in urbibus eximia vita sub urbanitatis specie latent. Pro abstinentia, lascivia, violencia, alea, obscenitas; pro temperantia, libidinosa licentia, jurgia, rixæ inter plebem; in societatibus nobilium luxus et avaritia, quorum honos in ambitione, munificentia in epulis et conviviis, delectatio summa in aleis et ludis consistere videtur. Hinc in rebus secundis superbia, in adversis desperatio, in morte nulla spes. Multis, desperatis rebus, bonisque publicatis, extremum suffugium restis. Atque haec in ipsis urbibus, in suburbanis regionibus, omnis doctrinæ et eruditionis apparatu abundantibus conspicuntur. Non ne igitur, comparatione facta morum urbanorum et agrestium, conclusionem facere liceat, quod ad educationem nostram, quæ in multis rebus perversa et naturæ contraria esse videtur. Nam si homines agrestes, omnibus institutionibus et disciplinis destituti, plus valeant virtute et simplicitate morum, quam illi, qui omnibus artibus urbanis disciplinisque scholarum

imbuti sunt: profecto in ipsa educatione, in docendi methodo diversitas querenda est.

Miremini forte, unde David condonandi artem didicerat, unde pietatem, unde admirabilem in Deum fiduciam sub omnibus persecutionibus acceperat. Hæc sunt quæstiones exploratu valde difficiles, et si ego meam de his rebus præfisciri edicere auderem sententiam, profecto nimis sapere viderer. Si autem virtutes animi addiscantur, vel si quadam eruditionis arte adquirantur: non certe David in aula Sauli didicerat artem tolerandi atque condonandi injurias. Sed nifallor, ex lege Domini eruditus est; in ædibus paternis educatus est; erat enim radix Jesæ.

Atque ego L. si qua in me religio est, si qua in deum fiducia, si qua in rebus adversis tolerantia: profecto eas virtutes, non in scholis didici, sed in ædibus paternis, in matris gremio accepi, quidquid religionis atque fidei est in me. Illius enim beatæ memoræ exemplis, lacrimis, suspiriisque nocturnis debeo omnem in religione et fide informationem.

At inquit: ædes paternæ patent omnibus, et etiam in scholis docetur Theologia. Verum; sed ita docetur in scholis nec non in nonnullis ædibus paternis, ut videatur esse scientia theoretica parum practica; ita docetur, ut non semper de intimo pectore promi, ut non omnibus propria, sed aliena scientia esse appareat.

Jam orationem meam odiosam omnibus, nemini gratam fore intelligo. Ne vero patientia vestra nimis diu abuti videar, et ut finem huic oratiunculæ quam primum addere liceat, unum a vobis peto, ut concedatis mihi, vera esse prædicata, quæ de moribus

urbanis et rusticis prædixi, scilicet: rara pietatis et fidei vestigia in agris, multoque rariora in urbibus apparere, eaque prisæ simplicitatis ac fidei reliquias esse, a parentibus liberis quasi imbutæ.

Hac mihi data venia, ego quoque vobis facile largiar, quod neminem vestrum negare existimo, perditorum hominum exemplis factum esse, ut civitatis labes scelerumque omnium eluvies per totam exundaverit civitatem, ex urbibus ad rus, ex optimatibus ad infirmæ fortis homines, ex ædibus nobilium ad ignobiles Lappones per montium claustra errantes. Atque hinc illæ lacrimæ. Hinc illæ querelæ. Hinc turba mobilium per plateas errantium, latrantium, ululantium et comitia tributa flagitantium. Hic, hic in intimo pectore perditorum hominum, in depravatis moribus, in religionis defectu, in deleta pietate latet radix omnium malorum.

Jam vero illud admirabile dictu, quod auscultent homines calumniatoribus; quod fides habeatur adversariis reipublicæ ac civitatis; quod mos geratur saceriorum gladiatorumque patronis, declamantibus: male res gestas, populum servitate oppresum, in administraanda republica nullam fidem esse, regem non regnare sed gubernare debere, salutis totam spem in comitiis tributis sitam etc.

Quasi vero non servitutem haberemus ipsi in orbis fœtentibus vino, in oculis squalidis forde, languentibus epulis et somno, in nervis torpentibus lascivia, in toto corpore enervato voluptatibus, libidinibus decrepito; in sanguine exsucco bili, in anima lacera cupitudinibus, spe et metu distracta, invidia, odio, ira cruciata. Ecce horribilem servitutem in mem-

bris nostris repugnantem non modo religioni, sed etiam rationi, totumque genus humanum in captivitate retinentem; nam quilibet faciens peccatum est servus peccati.

An creditis verum christianum, cuius regnum non est de mundo, cuius civitas æterna est in coeis, cuius victoria in compescendis cupiditatibus, cuius libertas in refrenatis animi affectibus consistere videtur, et cuius animi magnitudo in eo maxime eluet, quod injurias impiorum hominum æquo animo ferre posst; an creditis eum, qui nihil aliud de commodis hujus mundi poposcerit, quam ut fidem suam unicam in Deum et in Dominum nostrum Jesum Christum, integrum, intactam et inviolatam habere liceat; an creditis inquam, eum, qui servitutem hujus mundi sine odio, sine ira, sine indignatione tolerare potest, unquam desudaturum in disceptationibus hujus mundi, de rebus inanibus, de regno civili, de prærogativis imperii et sic porro? Non crediderim. Nam christiano idem est, Turcarum ne Sultano an Americæ præsidi debita solvat. Et quod ad jus civile pertinet, parum refert, servus ne, an dominus nominetur; quippe qui per se dominus est et rex et imperator vi potentiae et dominationis internæ, qua sui compos esse et aliis svadere potest. Itaque non servitutem physicam sed moralem ægre fert christianus.

Quæ, quum ita sint: quid tandem censendum iudicatis de turba illorum, qui perfirata fronte et inaudita prorsus procacitate clamant, vociferantur, adversus reges et imperia acriter invecti? Vel de illis, qui arrestis auribus suspensoque naso auscultant, attoniti quasi et avide devorantes voces barbarorum

clamantium: pereant reges! pereant leges majorum! vivat libertas! vivat religio Straussiana! O! fultitiam hominum, qui astutiam Diaboli non animadvertisunt, se captos dolo non vident. Ego contra ea exclamare vellem; delirat mundus; illaqueatus est illecebris Satanæ. Furit orbis terrarum, ac de christiano factus est pejor gentibus. Quem enim unquam gentium audiveritis mutare deos, alienos lares penatesque adoptare, pro summo numine semet ipsum sub humanitatis specie venerari, fana altariaque sruere rationi, quod nuper, vel paulo ante nostram memoriam factum legimus aquid nationem Gallicam, quæ ob eam causam, eti ad summum humanitatis urbanitatis que fastigium enixa, nihil feciis in Tartarum detraha videbatur, cum tota civitas sangvine suorum civium cruenta haud immeritas daret poenas nocti Bartholomei. Tum demum apparuit omnibus, quid sibi velit libertas hujus mundi. Vide, ne sub libertatis specie idem gratum spectaculum paretur Diabolo in nostra patria.

Sed miremini forte L. me, cum de ceteris ordinibus multa, indigna licet vobis visa, disserui, nullam ejus ordinis mentionem fecisse, ad quem ipse pertinere videor. Sed de hoc ordine nihil fere est, quod agam. Est enim hoc genus hominum invisum omnibus; et si ego de me et de collegis sententiam meam præfisciri edicere auderem; vereor, ne oratio mea nimis discrepare videatur ab auribus vestris.

Interesse hujus ordinis videtur, non tantum omnia infausta et sinistra hujus ævi animadvertere, et oracula potentibus dare, sed etiam sedulo precari, ut Deus avertat omen, operamque dare, ne quid capiat detrimenti respublica divina,

Quid ergo facimus ad sublevandam labefactantem rempublicam? Quid agimus ad avertendum malum, quod instare omnes videmus omnibus, maximeque sacerdotibus, quibus maxime iratus esse videtur Diabolus, quod eos obesse suspicatur conatibus suis infernalibus, quia in hoc ordine, ut ait *) exstitere ingenia? Oh! inquietis; clamamus, vociferamur: resipisci! capessite rempublicam divinam. *Hde de aξιων προστηριζεται των δευδεκαν οντων etc.* Math. III: 10.

Sed surdis et mutis clamare videmur. Nonnulli enim obturatis auribus auscultant atque discedunt; alii oscitantes negligenter vel prorsus nihil agunt; alii praefolantes finem, circimspiciunt oculis, circumvagantur cogitationibus; alii sono magis quam verbis commoti, simulantes luctum et maxilitiam, flent. Sed eorum omnium, scilicet auditorum omnium ordinum, qui intonantibus nobis in concionem congregabantur, pars a templo recta ad cauponam tendit, pars ad epulas et convivia confugit; alii in alea et ludis ceteram partem diei consumunt; et quod maxime nobis admirabile visum est: qui in templo simulata maxilitia flere videbantur, extra parietes templi rixantur, litigant, mululantur, invident, inebriantur, obtrectant. Quorum igitur illæ lacrimulæ tam celeriter exstillerunt?

Interea tamen ille, qui crebro crepitat in templo, ut palpando nervos mortaliū eliciat lacrimas, magnus saepe orator habetur. Et sit sane orator, per me licet. Sed ita palpandi sunt nervi mortaliū, ut exequiatur somnus ex animis eorum, ut compungantur corda eorum, ut perterriti pudoreque suffusi interro-

*) Petrés anförande i Borgar-Ständet.

gare coeperint: *Domini! quid agam, ut salutis aeternæ particeps siam?* Hoc autem fieri nequit ignorando vita eorum, aut indulgendo cupiditatibus eorum, aut emolliendo ac mulcendo voluptates eorum, quod saepe fit in ipso templo, cum tales excitantur motus, quibus sensus naturales liquefcunt exstlicantque per lacrimas. Nemo enim humana natura praeditus tam ferox est, tam immanis tamque crudelis, qui non emolliat blanditiis et adulando sensibus ejus. Docet hoc exemplum crudelissimi Tyranni, qui tragedia Euripidis, in qua Hecubæ fatum representatum est, vehementer commotus, actorem scenicum graviter reprehendit, quod naturam suam crudelem demulcisset. Sed ad veram pœnitentiam excitandam longe aliter mulcenda est natura ferox perditorum hominum.

Quid? si iisdem argumentis uteremur, ac Johannes Baptista: *proles viperarum;* aut ipse Redemptor: *genus adulterinum et iniquum;* aut Stephanus: *incircumcisæ corde etc.* Quid fieri putatis, si uno altero ve irrege nito veritatem ante oculos poneremus? Deliras, insani, in errore versaris, pereundum est, nisi resipiscas: Idololatra (contra primum preceptum Decalogi). Blasphemus (2. Pr.) Homicida (5. Pr.). Adulter (6. Pr.) Fur (7. Pr.) etc. Tum vero insolentiam hominis ambitionem que naturalem animadverteres. Egone fur, adulter, homicida? Abst, negatur. Et tamen e preceptis Decalogi, collatis argumentis Salvatoris, in quibus de vi et sensu legis moralis agit, adjunctis insuper Epistolis Paulinis de omnium hominum conclusione sub peccato, satis superque patet, omnes homines in statu naturali constitutos, esse "filios iræ." h. e. fures, adulteros, latrones, homicidas; nec po-

test quisquam desiderare gratiam, nisi qui primus agnoverit, se esse damnatum, omnium sceleratissimum flagitiis que obrutum, in Tartarum detrusum. Cur igitur irascuntur, cur indignantur, cur strident dentibus, sanguinemque poscent eorum, qui ad hanc, in omni conversione, necessariam delictorum suorum agnitionem ducere volunt? Quia naturalis ambitio manet in omnibus irregenitis; quia virtutibus freti se infantes putant.

Itaque, ne indignantur homines, ab omnibus exorationibus abstinentendum est. In orationibus nostris communiter mentionem facere debemus de hominum Iapsu, de necessitate poenitentiae, de fide in Christum e. s. p. sed neminem singulariter reprehendere, vel de salute ejus dubitando offendere, ne nimis irascatur. Nam quae e suggestu prædicantur vera quidem esse possunt; sed quia de omnibus dicta sunt, nemo reprehensionem sibi enunciatam, omnes virtutes, pietatem atque fidem de se prædicatas existimabunt.

Et quamquam e logicis patet, omnes veritates, quae non sunt axiomata, e dubitatione oriundas, per dubitationem eliciendas, et a dubitatione ad certitudinem deducendas esse; (sic existentiam Dei demonstratur primo contrarium h. e. non existentiam ponimus, et res, de cuius veritate nullus dubitat, demonstratione non eget.); idem omnes, quorum conversionem descriptam habemus, experientia sua testantur, conversionem e dubitatione inchoatam, tum demum esse absolutam, cum ad certam fiduciam pervenerint; immo definitio fidei a Paulo data omnem de salute dubitationem tollit, cum certitudinem et persuationem dubita-

tionis loco ponit; unde facile colligitur, nullam certam fiduciam esse, ubi nulla fuit dubitatio: tamen omnis de salute dubitatio, quantum fieri potest, evitanda est, ne nimis excitarentur homines e somno, e securitate omnibus periculosa, e lethargia letali, ad severiorem verbi, conditionisque suæ meditationem, ad majorem salutis, quam rerum contingentium desiderium. Neque hoc arroganter dictum velim.

Quis est enim tam stolidus aut stultus, qui non animadvertis, sic Evangelium a plerisque prædicari, ut placeant hominibus, ut grati sint auditoribus, ne nimis offendant populum. Videlicet populares esse debemus non tantum in foro, sed etiam in concionibus. Quis est, qui nesciat opinionem populi, faciliter plerosque eorum, qui strenue boant in templo pariterque glutiunt, quæcunque ex oibus mulgent, nihil facturos nisi mercede conductos. Quot autem Evangelium prædicaturos creditis, si omnia præmia hujus mundi adimerentur illis?

Exspectate paulisper! Ego vobis declarabo. Jam probata est fides hujus ordinis in proximis hisce comitiis, et probabitur ulterius in sequentibus et futuris. Exspectate illa comitia tributa, in quibus omnis libertas populo restituta, omnis potestas regi a destra, omnis diversitas ordinum ad quaqua, et omnis controversia de esse et non esse erit reconciliata; quum cilibet licet impune dicere, quidquid et de quo voluerit: sit decretum populi, cuius hæc sunt verba: "Som ingen kan förstå Bibeln utan förklaring, och den förklaring, som den store Exegeten Strauss deröfver lemnat os, tyckes vara den, som mest öfver 30 monolitiskt äga ejt i mässan i oibua allt

verensflämmer med förfunkt och mensklighet: sålem.
nas ledamöterne af Preßeståndet fritt val, att förvända sig till folklärare, i hvilket fall de skola njuta ett
anständigt underhåll af Staten; börändes de likväldigt
sina föredrag stricte hålla sig efter den ritual och in-
struction, som Riksförsamlingen nu för dem utfärdar,
i enlighet med Strauss' förklaring af Gamla och Nya
Testamentets skrifter, sådan den i svensk översätt-
ning, jemte ändringar och tillägg blifvit allmänheten
från Aftonbladstryckeriet meddelad; äfvensom det å-
ligger dessa Folklärare, att hos folket i synnerhet in-
skärpa läran om mänskans rättigheter. Men här och
en Preß, som icke vill ställa sig förenämnde instruc-
tion till esterättelse, vare sin tjänst och embete för-
löstig, deraf han vidare understår sig, att fortplanta
den fordnade vidskepelsen om en Gudamänniska på
jorden o. s. v."

Quid? cunctabuntur? Non parebunt opinor plebi-
scito. Videlicet relictis piscibus seqventur Christum
ista præclara ingenia, qui jam proximis hisce co-
miliis ne verbo quidem tangere aū sunt gravissimas
vitæ et necis quæsiones, ne nimirum in invidiam at-
que suspicione incurrent apud contrariæ factionis
patronos. Immo vero, non modo parebunt, sed læta-
bundi et cum gratiarum actione acceptabunt conditio-
nem, atque in decreto decretorum "maximas se agere
atque habere gratias, inquiet, humanitati populi,
quod se salvos atque incolumes esse voluit, cum par-
vula mutatione tituli atque officii, ut scilicet pro Chri-
sto atque Evangelio prædicarent Politiam.

Mendacium! Blasphemia! Infamia! Non est possi-
bile. Audio; vellem et ipse ego divinationem meam

peritram in hoc ipso momento, nisi historia, rerum
que humanarum consideratio aliud svaderent. In me-
moriam vobis omnibusque dubitantibus revocanda est
non minus memorabilis illa, quam miserabilis nationis
Gallicæ sedatio, atque horrenda omnium humanarum
divinarumque rerum perturbatio; cum, libertate popu-
lo restituta, occiso rege, innumerisque civibus tru-
cidatis, immortalitatis spes inter maxima prælinæ su-
perstitionis deliria habebatur, ipsiusque Dei existentia
in dubium vocabatur; quam ob causam omnium cru-
delissimus tyrannus Robespier, ne popularitatem suam
apud plebem amitteret, demum coactus fuit in con-
ventu publice demonstrare existentiam Dei, animæque
humane immortalitatem, quo suffragante fit decretum
populi: "quod sit Deus, quodque anima sit immorta-
lis." Quid fecerunt in simili casu, cuius supra men-
tionem fecimus, ingenia illa præclara, quæ paulo ante
elata et prævilegiis freta vix sub eodem lecto cum
alterius ordinis membris deliberare de statu reipu-
blicæ sustinuerant? Hilaeres opinor et libenter mor-
tem atque exilium pro religione Catholica, ad quam
conservandam atque defendendam omnes fese jureju-
rando obstrinxerant, sabiere. Immo vero, non modo
non cervices præbuere, sed præente Archi — Episco-
po Lutetiano, comitantibusque ceteris Episcopis,
Doctoribus, Presbyteris et Sacerdotibus, religionem
Catholiceam publice, tamquam summam stultitiam atque
superstitionem, coram frequentissimo tribunorum plebis
conventu abdicarunt, abjuraverunt, deposuerunt. Et
quodnam fuit præmium denegatæ religionis ac fidei?
Ipsi videatis, ex historia erudiāmini. Sed satis dixi;
cetera divinabitis ipsi.

